J. N. J.

SCRUTINIUM

Morborum Totius Subſtantiæ, ſive Formæ in genere.

Quod

Sub

RECTORATU MAGNIFICENTISSIMO

Sereniſſimi ac Celſiſſimi Principis ac Domini,

DOMINI

GEORGII FRIDERICI,

Ducis Wirtembergiæ & Tecciæ,

Comitis Montisbelgardi, Dynaſtæ Heidenhemii, &c.

PRÆSIDE

DN. JOH. CONRADO BROTBEQUIO,

Philoſ. ac Med. Doct. & Prof. Ordin.

Publico placidoque axamini Medico ſubjicit

JOHANN-CASPAR Härlin/

Göppingenſis.

Ad Diem ii Septembris,

Horis locôque ſolitis.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISI,

ANNO M. DC LXXV.

15

VIRIS.

Plurimùm Reverendâ Dignitate, Nobilitate, Amplitudine, Experientia & Excellentia ſummè conſpicuis,

DN. JOH. ADAMO OSIANDRO, SS. Theol. D. & Profeſſ. longè Celeberrimo, Eccleſiæ Tubingenſis Superintendenti Vigilantiſſimo, Dignisſimo.

DN. ANDREÆ FROMMANNO, J. U. D. Inſtitut. Imper. Profeſſori Publico Meritiſſimo, & Facult. h. t. Decano Spectatiſſimo.

DN. WOLFFGANG-ADAMO Lauterbach/ J. U. D. Profeſſori & Anteceſſori Famigeratiſſimo, Sereniſſimi PATRIS PATRIÆ Conſiliario Amplisſimo.

DN. JOH. CONRADO BRODBEQUIO, Philoſ. ac Med. Doct. & Profeſſ. Ordin. longè Celeberrimo.

Superattendentibus & Inſpectoribus Stipendij Hochmanniani Digniſſimis, Dexterrimis.

***Dnn. Cognato, Patronis & Promotoribus** omni honoris, obſequij & obſervantiæ cultu ætatem colendis,*

In debitæ gratitudinis & obſervantiæ teſſeram, ulterioremque ſui & ſtudiorum ſuorum commendationem, primitias haſce medicas ſubmiſſè

dedicat, conſecrat

JOH. CASPAR Härlin/ Stipend. Hochm. A. & R.

PROOEMIUM.

MAgnæ res eſt utilitatis ac neceſſitatis in Medicina, Morborum diviſiones ac differentias, easque potiſſimum Eſſentiales, ut vocantur, ritè addidiciſſe; Vix unquam enim ad optatum ſuum Medicus perveniet ſcopum, niſi horum ceu rerum Artis noſtræ fundamentalium debitam hauſerit cognitionem; Hæ namque ſunt unde & Indicationes & Curationes morborum dependent ac defluunt quàm maximé. Idcircò meum hoc erit, quod ad publicè diſputandum elegi argumentum, & quidem ſeorſim de *Morbis Totius Subſtantiæ ſeu formæ* genericè duntaxat breviterque conſiderandis. Quæ materia in omnium fermè ore & calamo trita, multis adeò opinionibus obnoxia eſt, ut dubios reddere, præſertim Tyrones Artis facilimè poſſit, diligentiori ergò inquiſitione eandem dignam judicavi, ut remotis ac ſepoſitis quibus obſcuratur nubeculis, clarior reddita, cuique facilius ad oculum pateat. Adſit itaque Summus Archiater Divino lumine ſuo, cœptisque in ſui præcipuè Nominis gloriam & proximi emolumentum directis, adſpiret.

Cap. 1. Hiſtoricum.

Originem ac progreſſum dogmatis de Morbis Totius Subſtantiæ recenſens.

SUperiori ſeculo melioribus literis renaſcentibus cum ſtudium Medicum ſolito magis excoli cœpiſſet, uti in Germania, & in hâc noſtrâ Academiâ *Leonhardus Fuchſius*, qui patrum memo-

 ria,

ria, teſte *Cl. Herm. Conringio de introduct. in art. Med. Cap. 3. §. 30. p. 70.* Scholam noſtram Tubingenſem valdè illuſtravit, primusque Galeni Lectionem in Scholas introduxit: Ita in Gallia *Johannes Fernelius* primi fuère Artis noſtræ reſtauratores, quorum hic, inter alia de verâ & perfectâ morborum diviſione ſollicitus, uſu jam receptis Galenicis morborum ſimilarium ſpeciebus, *novum par Materiæ & Formæ ſeu totius Subſtantiæ* illis adjecit affectibus; Omnimodè ſibi perſuadendo, nemini ad perficiendas Artes ac Diſciplinas prohibitnm eſſe nova invenire, & antiqua renovare, illuſtrare atque augere; Neque veterum veſtigiis ita tenaciter inſiſtendum ut non liceat ab iisdem quicquam decedere; Hanc enim ſi poſteri viam ſemper tenuiſſent, nunquam in intimam naturæ cognitionem penetraſſent, demerſaque adhuc latuiſſet multis in rebus veritas. Multaque adhuc abstruſa, incognita ac dubia, nondumque ſatis examinata & elaborata paſſim ſupereſſe, adeò ut incomprehenſarum rerum immenſa ſit multitudo, imò multo major quàm quæ poſſit unquam percipi; Cur ergò non liceat eadem apertius reſerare? Inter hæc verò apud Phyſicos & Medicos occurrere illud τὸ Θεῖον *ſeu Divinum Hippocraticum in morbis*, quod ſummo ſtudio & permagno judicio crediderit eſſe ponderandum, & eò magis quod eximius ille vir ob Divinitatem olim ceu Numen cultus ſit, & brevi ſententia magnam rerum ſupellectilem, quam mente gerebat concluſerit. Hinc firmiſſimè credens Fernelius ſub *Divini* Nomine in medendi Arte penitus obvelatum quid latere, quod nondum ſatis pateret, ſe laborem hunc de illo plenius tractandi Artis amore, veritatisque ſtudio, ſuſcepiſſe & abſolviſſe ſcribit; & quidem ne quid in opinione dubia non ſatis ratum haberetur, ex Hippocratis & Galeni, rationis & experientiæ inprimis munimentis ſingula probanda ſeſe deprompſiſſe. Neque tamen ſe eâ eſſe inſolentia, licet non pauci hanc ſuam inſtitutionem exiſtimaturi ſint novam, quæ reverâ pervetus ſit, ut ſe ejus Authorem jactet, ſed interpretem duntaxat, & explanatorem profiteatur. Et hinc non tàm perficiundi ſpe, quàm deſiderio excitandi ingenia aliorum ad veri inveſtigationem, ſcripſiſſe, ita ut ipſorum melius ſentientium judicio omnia libenter ſubmittat. *Velim enim*, inquit, *ex æquo & bono accedant nobis honorarii arbitri atque diſceptatores; qui malò invidiæ puri, & profectus & conſilii mei rationem colligant ac judicent; nec enim tantum mihi ipſe tribuo, ut fidem haberi velim præ-*

judica-

judicatæ meæ ſententiæ. Hæc & plura alia hujus inſtituti ex ipſa Fernelii ad Henricum Franciæ Regem Chriſtianiſſimum præfatione in *libros de abditis rerum cauſis* colligere licet. His ergò & *Pathologiâ* ſuâ in lucem evulgatis, ſuos quidem pro voto invenit ſententiæ ſuæ Patronos, qui vel ipſius argumentis vel aliis rationibus eô commoti aſſenſum præbuerunt, quos inter *Joh. Argenterius, Joh. Riolanus Pater*, & *Paracelſi* Sectatores juxta Th. Eraſtum. Præter hos *Greg. Horſtius*, qui quoad exiſtentiam morborum occultorum citat *Fallopium, Columbam, Mercatum, Steeghium.* Succedunt his *Sennertus*, & *Sperlingius*, qui pro Sennerto contra Joh. Freytagium ſcripſit, deinde *Kyperus*, & alii. Verum quia vix quisquam maletactus relinquitur, haud defuerunt qui vel ex invidia, vel oſtentatione, vel veritatis ſtudio, vel alia denique de cauſa diſſentientes hanc rejecêre, ſententiam, è quorum numero ſunt: *Fuchſius, Th. Eraſtus, Sanctorius*, & qui à Greg. Horſtio adducuntur *Montaltus, Marcellus, Maſſaria.* Quibus Sennertus annumerat *Com. Montanum, Capivaccium, Euſt. Rudium, Joh. Freytagium, Santorellum, Mercurialem. Gaſpar Bravo* ejusdem ordinis ſuperaddit *Roſellum, Sanctacruzium, Angelucium, Liddelium, Valleriolam, Plempium, Mercatum, Varandæum, Heurnium*, ut & *Sennertum*, ſed malè. Tandem etiam cum *Zacuto Luſitano* Sennertum & Sperlingium damnant *Riverius* & *Jac. Panc. Bruno* & alii. Notandum porrò quod nonnulli horum in totum, quidam in tantum à Fernelio vel abeant, vel cum eodem conſentiant.

Cap. II. Pathologicum.

Morborum totius ſubſtantiæ & occultorum naturam repræſentans.

POſtquam *Fernelius* novæ morborum bigæ author, primò de Morbis materiæ, *Patholog. lib. 1. c. 7. & lib. d. abd. rer. cauſ. c. 9.* Mentem ſuam expoſuit, mox ad morbos formæ progreditur, quos *l. c. & d. abd. rer. cauſ. c. 10, 11.* Penitius & prolixius tradidit, atque ibidem tria morborum ſimilarium genera conſtituit. De materiæ quidem morbis, quos ad Intemperiem communiter referunt, nihil nobis dicendum, hos itaque intactos relinquimus, morborum ſolum-

ſolumodò Formæ ſeu Subſtantiæ examen ſuſcipientes. Quid autem ſint morbi formæ his verbis delineavit *Fernelius Patholog. l. c.* dicendo, quod partium ſubſtantiam primum & per ſe oppugnent. Eorum hinc ſubjectum genuinum totius & partium Subſtantiam conſtituit, cujus nomine inſitum ſpiritum & divinum illius calorem & facultates, ipſamque formam complectitur, quam & ſpeciem & interdum Facultatem appellat. *d. abd. rer. cauſ. l. 2. c. 9.* Idq; juxta perfectionem & integritatem, quâ res unaquæque conſiſtit: Hinc quoties immutetur, & de perfectione decedat rem totam continuò perfringi, ipſamque illius deceſſionem morbum eſſe totius ſubſtantiæ, *d. abd. rer. cauſ. cap. 10.* Ad quorum adſtructionem firmioremque probationem *binis utitur hypotheſibus*, quarum *Prima* eſt, ad ſanitatem partium ſimilarium tria requiri, Materiam, Temperamentum & Formam, quæ totius ſit ſumma perfectio, quorum trium naturalis conſtitutio & ſymmetria ſanitas ſit; unius cujusvis igitur immoderatio & ametria, quæ contra naturam evaſerit morbus cenſeatur, ita inferendo: *Patholog. l. 1. c. 7. Et d. abd. rer cauſ. l. 2. c. 9.* ſi qua ſunt in parte ſimilari præter temperamentum quibus ſanitas illius & integritas conſervetur, nonne neceſſe fuerit in bona illorum conſtitutione ſanitatem, in mala morbum collocare. Atqui duo in una quaque ſimilari parte inſunt temperamento præſtantiora, ſubjecta materia & ſpecies, Ergò. *Secunda* autem *hypotheſis* eſt: omnem mutationem ſubſtantialem nondum conſummatam producere & eſſe morbum totius ſubſtantiæ *d. abd. rer. cauſ. l. 2. c. 10.* ubi tanquam infallibile & per ſe manifeſtum hoc præſupponit principium. Prioris autem hypotheſeos *demonſtratio* diverſis modis ac mediis ab eodem inſtituitur, deſumendo *primò* argumentum à Pari, *d. abd. rer. cauſ. l. 2. c. 9. Secundò* ex Galeno, *l. c. & C. 10. Tertiò* ab Inductione & Exemplis, *Quartò* à curandi ratione l. c. *Quintò* à cauſis proportionatis triplicis ordinis *l. c. C. 9. & Method. Med. l. 1. c. 2.* Sequitur ex hinc plenaria definitio ad mentem Fernelii ex *Patholog. l. c. & d. abd. rer cauſ. l. 2. c. 10.* de ſumpta. *Morbus totius Subſtantiæ eſt conſtitutio ſeu affectus contra naturam in partis ſimilaris ſubſtantiali perfectione per vim manifeſtam vel occultam primò ac per ſe immutata, & graviſſima ſymptomata inducente conſiſtens.* Ab hâc autem Claſſe exeſſe jubet Fernelius, & rectè quidem, morbos ſupra- vel transnaturales. *Patholog. l. 1. c. 9. d. abd. rer cauſ. l. 2. c. 16.*

Cap.

Cap. III. Criticum.

Fernelij expendens Sententiam.

NUnc ergò quid de hâc Fernelii doctrina ſentiendum, tùm ratione, tùm authoritatis conſenſu breviter dicendum. Concedimus primò cum multis aliis etiam adverſariis, quoad ſimplicem exiſtentiam, mutationes & affectiones illas præternaturales, quas Fernelius materiæ & Formæ ſeu toti ſubſtantiæ adſcribit. *& d. abd. rer. cauſ. l. 1. c. 9. & ſeq.* prolixè demonſtravit. Negamus autem ex plurium ſuffragiis, primò in genere, illas ad morborum claſſes pertinere; Secundò in ſpecie, ſub morbis ſimilaribus, tanquam novas ſpecies, comprehendi poſſe. Examinandæ igitur *hypotheſes* illæ quarum *prima* huic Syllogiſmo includitur, *d. abd. rer. cauſ. l. 1. c. 9. Quot ſunt requiſita ſeu attributa partis ſimilaris perfectionem atque integritatem conſtituentia, & conſervantia, tot quoque ſunt ſanitatis & morborum ejusdem genera vel ſpecies, Atqui illorum tria ſunt, nimirum Materia, Forma, Temperies, E.* Major à Fernelio non fuit probata, ſed tanquam vera ſibi relicta. Minor confirmata fuit per media ſupra allegata. Nos autem breviter *reſpondemus* 1. Majorem ita reſtringendo: Quot ſunt requiſita partis ſimilaris, quà talis, perfectionem atque integritatem, non quamcunque, non eſſentialem ſeu ſubſtantialem, ſed accidentalem tantummodò conſtituentia vel conſervantia, tot etiam ſunt ſanitatis & ex oppoſito morborum genera inferiora ſeu ſpecies: Atqui, negatur minor, non enim tria illa, ſed unicum ſaltem, nempè temperies illo modo requiritur. Neque etiam materia ac forma quà talia, ad ſanitatem ut accidens eſt, aliquid conferunt. Negata itaque minore, omnes quoque ejusdem ſimul & ſponte corruunt probationes, triplicem illam conſtitutionem introducere intendentes. Unde ad easdem ſeorſim reſpondere ſupervacaneum putamus, nempè quod & Medicorum plurimi ſupra citati, abundè jam dudum id præſtiterint. *Reſpondetur* ſecundò ad Minorem, ex ipſo Fernelio plurima inter ſeſe diverſiſſima elici poſſe requiſita. Nempè, præter illa tria, adducuntur quartò facultates & qualitates formales, & divinus calor tanquam accidentia formæ. Quintò qualitates materiales, à temperamento diverſæ. Sextò, inſitus ſpiritus ſeu ſpirituoſa ſubſtantia, *Pathol. l. c. C. 7. & d. abed. rer. cauſ.*

l. 2. C.

l. 2. C. 9. Hæc quamvis Ferneliano conſiderandi modo & arbitrio ad tria priora reducantur, quoad rem ipſam tamen pleraque, uti cuivis patet, toto genere à ſe invicem diſſident, quis ergò ſub idem genus eandemve ſpeciem coget? *Altera hypotheſis* in ſpecie morbos præcipuè totius ſubſtantiæ ſtabilire molitur, ita argumentando: *Quot ſunt genera mutationum contra naturam in parte ſimilari, tot etiam ſunt morborum: Atqui illorum ſunt duo, videlicet corruptio ſubſtantiæ nondum conſummata & qualitatis alteratio. Ergò. Reſp.* ad Majorem limitando, quot ſunt genera mutationum accidentalium & propriè morbificarum tot quoque ſunt morborum genera; Atque ſic negatur Minor, nam corruptio quà talis licet nondum conſummata, ab eadem conſummata gradu duntaxat differt, gradus autem, juxta Philoſophos, non mutat ſpeciem. E. pro nova morbi ſpecie malè aſſumitur, ſed potius ad interitum & mortem ablegabitur invaleſcentem. *Concluſum* igitur hoc eſto: In ſenſu Phyſico-Medico propriè ſtrictèque ſic poſito, non dari tria in parte ſimilari morborum genera, ſed è contra, duo illorum quæ ſunt materiæ ac formæ ad dyſcraſiam revocanda, corruptionem verò penitus expungendam eſſe. Quorum illud ita probatum ibimus: *Quicunque morbi per eſſentialem dependentiam, intemperiei ſunt ſubordinati, illi ſunt ſpecies ejusdem tanquam generis ſui; Atqui morbi formæ ſeu qualitatum occultarum prædicti, ſunt ita ſubordinati*, E. Minor probatur ex temperamenti & ex oppoſitâ intemperiei diviſione, temperamentum enim aliud eſt genericum, mixti ſimpliciter ac viventis; Aliud ſpecificum, viventis vegetativi, vel animalis in certa ſpecie; Aliud individuale, quod idioſyncraſia vocatur. Poſtremis enim hiſce duobus, præter communes & genericas, propriæ etiam ſeu ſpecialiter & ſingulariter determinatæ conjunguntur qualitates, quæ à nobis occultæ appellantur. Tandem etiam in eodem individuo, craſis alia totius, alia partium concedi ſolet. Ubi & hoc animadvertendum, quod qualitates ex parte rei, ſive in ſe & abſolutè omnes ſint formales; Quoad nos verò, in comparatione elementarium ſive ſenſualium qualitatum, cum aliis non ſenſualibus, illas manifeſtas, has autem occultas nominare conſuevimus. Ex his itaque eſſentialis illa qualitatum ſubordinatio ſatis verificata videtur & per conſequens Ferneliani formæ morbi ad dyſcraſiam referendi ſunt. *Materiæ* autem *morbi* à Fernelio ſuperadditi, quid aliud ſunt, quam qualitates,

ad

ad dyſcraſiam ſecundariò, vel ad conformationem primariò ſpectantes? Vel, uti *Sennertus Inſtit. l. 2. part. 1. c. 4.* reſpondet, modò etiam cauſæ morborum, modò ſymptomata ſunt. De quibus plures alii à *Sennert*, *Horſtio*, & *Gaſp. Bravone* allegati authores audiri poſſunt. Alterum de corruptionis, ſeu veris totius ſubſtantiæ morbis, ex reſponſis ad hypotheſes jam datis, vel ſpontè pateſcit. At quid vel tandem? Hactenus quidem contra Fernelium, nunc & pro eodem vel excuſando, vel cum aliis conciliando pauca; Fas eſt uti in aliis diſciplinis practicis; Sic & in Medica Arte, placita ſua non ſemper in accurato ſenſu Phyſico, ſed laxiore Medico, nec ab artis ſcopo prorſus alieno, propoſuiſſe. Quod igitur *Celeberr: C. Hofmannus Epit. Inſtit. l. 3. c. 13.* pro definitione Febris Galenicâ, id nos pro dogmate hoc Ferneliano pronunciamus atque decernimus: *Sufficiat uſui, licet examen logicum haud ſuſtineat.* Medendi namque Methodus, quoad Indicationes morborum, ſalva nihilominus & incolumis ſubſiſtet. Hinc peſtis, quam ſive cum Fernelio totius ſubſtantiæ morbum; Sive cum Eraſto & aliis intemperiem dixeris, utrobique tamen non niſi alexipharmaca indicabit, prout nec ipſe *Eraſtus d. Morb. Tot. Subſt. §. 68.* diffitetur. Utroque autem crure incedunt, qui theoriam phyſicam arti medicæ adaptare, vel, quod *Hippocrat. d. Elegant.* inſinuat, qui *ſapientiam ad Medicinam, hancque viciſſim ad illam transferre norunt. Medicus enim Philoſophus eſt DEO ſimilis.*

Cap. IV. Pathologicum.

Morborum Totius ſubſtantiæ ſeu occultorum diviſionem proponens.

QUo ſpecialis horum morborum natura innoteſcat, diviſione opus eſt, ad quam jam nunc accingimur. Fernelius quidem eundem laborem jam olim ſuſcepit, minus rectè, clarè & accuratè tamen, ut quidem *Sennerto Prax. l. 6. part. 1. c. 6.* videtur, eum abſolvit. Dividendo videlicet eos in manifeſtos & occultos, & referendo ad manifeſtos, ulcera maligna, ut & pulmonis, epatis, lienis, aliarumque partium putredinem, ex primarum qualitatum intemperie natam, & denique Spiritus innati diſſolutionem per vigilias, labores, inedias, atroceſque dolores & nativi caloris extinctionem in ſtrangula-

tione, vel penetrabili extremoque frigore. Verùm non ſine ratione à Sennerto in nonnullis reprehenditur, quas l. c. clariſſimè proponit, ita ut brevitatis ergò easdem hîc repetere nolim. Nos interim animum noſtrum explicaturi, præmittimus *diviſionem ratione partium ſimilarium*, quarum morbi, quoad nos, ſunt triplices: manifeſti, occulti, & mixti; utrique rurſus ratione eſſentiæ; vel totius ſunt ſubſtantiæ, vel craſeos. I. *Manifeſti* itaque totius ſubſtantiæ læſæ dicuntur, primò, ſimplices & communes putredines, à rebus manifeſtis, non occultis originem ducentes, utpote ſunt; ulcera & caries. Secundò, exareſcentia ſeu extenuatio & conſumptio ſubſtantiæ, hectica, tabes, marasmus. Tertiò, violentæ corruptiones, uſtiones &c. Dyſcraſiæ autem morbi de quibus paſſim in Inſtitutionibus & Practicis, non ſunt hujus loci. Accedimus: II. Ad *Occultos*, qui ſunt vel *Totius Subſtantiæ*, & quidem, primò, per corruptionem prorſus venenatam, præcipuè ab externo veneno violentiore, quod non ex putredine & corruptione pravam & naturæ noſtræ inimicam qualitatem acquiſivit, ſed quod ſuâ naturâ absque ullâ accedente corruptione tale exiſtit, apud *Senn. l. c. part.* 2. *C.* 1. Secundò, per transmutationem in petrificatione: vel *Dyſcraſiæ*, quando craſis vel viventis vel ipſius individui idioſyncraſia depravatur. III. Pergimus *ad ſpurios ſive Mixtos* ex manifeſtis & occultis, quando nimirum ſupradicti manifeſti ſimul à conjunctâ qualitate occultâ originem trahunt, ut febris maligna, & peſtilens. Ex hiſce autem modò enumeratis morbi dyſcraſiæ à peculiari & ſingulari quâpiam cauſâ & facultate morbificâ, juxta *Hippocratem d. vet. Med.* oriundi, præcipuè hîc in examen veniunt. Ut autem morbi hi eſſentialibus *differentiis* à ſeſe invicem diſtinguuntur: Ita & *accidentalibus.* Differunt enim primò ratione *gradus*, ita ut 1. vulgariter maligni alii dicendi, qui putrefacientem quandam vel corrodentem qualitatem adjunctam habent. Alii 2. propriè maligni, à qualitate tali minus mortiferâ exorti. Alii 3. venenati, qui qualitatem habent vitæ penitus adverſam, à veneno quodam lethifero proficiscentem. Porrò alii conſummandi, qui ab optimo ſtatu tendunt ad corruptum. Alii conſummati, qui jam corruptionem, ipſiusque ſubſtantiæ interitum introduxerunt, *Fernel. d. abd. rer. cauſ. l.* 2. *c.* 10. Ad hæc alii totales, qui totum *ſubjectum* occupant & infeſtant; alii Partiales, qui partem tantùm. Ratione *modi invadendi* ſeu cauſandi, ſunt

alii

alii contagioſi, qui ſeſe valdè multiplicant, & alios quamplurimos eodem affectus genere inficere ſolent; alii non contagioſi, qui non ita graſſantur, nec in alios irruunt. Reſpectu *cauſarum* eos producentium tandem quoque differunt, à veneno enim alii interno, alii externo, originem ducunt, alii à ſalino, Sulphureo, ☿ali, Spermatico, Aſtrali, &c. de quibus tamen capite ſequenti plura.

Cap. V. Ætiologicum.

Cauſas evolvens.

His poſitis cauſarum examen aggredimur, cùm enim impoſſibile ſit curationem invenire, niſi morbi effectrices cauſæ prius ſint cognitæ, eas quantum fieri poteſt breviter nunc declarabimus. Huc autem pertinere videntur, ſubjectum, cauſæ Efficientes, & Finis. Primò, *Subjectum* eſt cauſa materialis in qua, & quidem triplex: *Remotum*, Subſtantia corporis ſimilaris in genere mixta & temperata, quatenus in ſtatum contrarium mutabilis. *Propinquum*, Subſtantia eadem, ſpecificè per formam ſuam determinata, nempè vivens, quale eſt corpus humanum ſimilare & ſolidum ſecundum triplicem hujus partem, in ſpecie, ſolidam, humidam & ſpirituoſam, pariter præternaturam mutabile. *Proximum*, eadem ſubſtantia ſimilaris, quatenus ratione mixtionis vel temperiei hujus, aut ſpecificæ, aut individualis, vel manifeſto vel occulto modo in corruptum aut morboſum ſtatum convertibilis ſive alterabilis eſt. Secundò, cauſa *Efficiens* itidem triplex eſt, Remota, Propinqua & Proxima. *Remota* cauſa ſunt corpora noxia, qualitate ſeu manifeſtâ præternaturaliter mutante prædita, eaque tàm ſimplicia: Salina, Sulphurea, ☿rialia, Aſtralia, nec non ſpermatica; quàm compoſita, ex. gr. Mineralia; Antimonium, Arſenicum, Argentum vivum. Vegetabilia; Napellus, Elleborus, cicuta &c. Animalia; Serpentes, Canes rabidi, Tarantulæ, &c. Morſibus, ictibus, viſu, ſibilo, ſeu alio modo nocentia, ut &, ſive per naturam, ſive per artem exinde mixta, alimenta & medicamenta &c. aliaque ex ſex rebus nonnaturalibus deprompta, variè adjuvantia, aër potiſſimum inſpiratione attractus, vel quocunque modo corpori communicatus, quatenus maligna miaſmata & morborum malignorum & peſtilentium in ſe continet ſemina. Nec non varia corporis contenta. *Propinqua*, ſunt Formæ illorum corporum quæcunque

ſpecifica præſertim, corpus noſtrum, quatenus vivens corrumpentes, vel præter naturam alterantes. *Proxima*, Spiritus & facultates formales vel qualitates aliæ prout ignoto nobis, ſibique peculiari ſed, antipathico ac præcipuè venenato quodam agendi modo, corporis noſtri ſubſtantiam corrumpendi, vel craſin ejusdem ſpecificam aut individualem alterandi ac depravandi potentia armatæ ſunt. Ipſa autem mutatio per contactum vel corporeum, vel ſpiritualem quendam fieri ſolet, prout notum eſt, animalia quædam non ſolum contactu corporali ſed & virtuali, & per occulta effluvia & ſpecies ſpirituales occidere. Tertiò tandem Finis morborum totius ſubſtantiæ eſt actionum omnium animalium, vitalium, & naturalium vel aliqualis, vel omnimoda atque irrevocabilis in cadavere ceſſatio, ablatio, extinctio. Dyſcraſiam verò occultam ſequuntur ſymptomata actionum læſarum, excretorum, ac retentorum, ut & qualitatum mutatarum varia. De quibus legantur practici, comprimis *Sennertus Prax. l. 6.*

Cap. VI. Semioticum,

Signa colligens.

ABſoluto examine de Cauſis, ordinis ratio ulterius progredi ad *ſigna*, & quidem primò *Diagnoſtica* jubet, præſentem enim ſtatum quis prius cognitum habeat oportet, quàm de futuro prædicere velit. Miſſis autem morborum manifeſtorum T. S. ſignis, quæ ex Fernelio & aliis peti poſſunt, ad occultorum ſeu malignorum in genere tantummodò ſigna evolvenda nos accommodabimus. *Primò* autem deſumimus ea *ab Eſſentia*, cum morbus ſuâ naturâ & per ſe malignus eſt, ut cancer, Peſtis, & alii, modoque invadit omninò ſubitaneo & inſolito, prout fieri ſolet ut plurimum in iſtiusmodi morbis venenatis. *Secundò à Cauſis*, quæ ſunt vel *Materiales*, ut alimenta & medicamenta, uſus nimirum ciborum ac potuum pravorum ac corruptorum; Item medicamentorum venenatorum & deleteria qualitate præditorum: vel *Efficientes*, & quidem vel externæ, aër ſcilicet peſtilens ac corruptus, vulnera à gladiis intoxicatis inflicta, morſus venenatorum animalium &c. vel internæ humores cacochymici & corrupti. Certiſſimi item ſigni loco eſſe poſſunt circumſtantiæ locorum & temporum, inq; his perſonarum & rerum, quæ malignitatis jam reæ vel ſuſpectæ ſunt, nempè ſi quis in & cum iſtis quocunque modo con-

do contactus ab extra vel intra, deprehenſus, iisdemque potenter alligatus fuerit. *Tertiò ab Effectibus*, in genere quidem à virtute debili ac valdè poſtratâ, absque cauſâ manifeſtâ ſeu quotidianâ; In ſpecie verò à Symptomatum triplicis generis præſentiâ, veluti ſunt: Delirium, maxima mentis perturbatio, vigiliæ & inquietudines ſine vehementi febre, ſubita pulſuum & virium dejectio, animi deliquia, ſitis magna ſine vehementi febre, vel abolita cibi potusque appetentia; Excreta per vomitum, alvum, aliasque partes inſolitè prava & à naturalibus valdè remota. Inſuper etiam corporis color, & faciei figura mirè fœdata. Porrò etiam in febribus exanthemata, puſtulæ variæ, carbunculi, bubones, in inguinibus, ulcera circumglabra, ex *Aph. 4. Sect. 6.* & ſimilia ſupervenientia morbi maligni indicia cenſentur. Ultimò denique à cauſis etiam juvantibus & lædentibus eadem petuntur ſigna. Si enim medicamenta, quæ manifeſtis qualitatibus agunt, non juvant, ſed occultâ ſolùm qualitate agentibus & alexiteriis curatur morbus, indicium eſt eſſe malignum. *Sennert. lib. Prax. 6. part. 1. cap. 8. ut & River. Inſt. Med. lib. 3. Sect. 2. cap. 9.* Cognitis jam morbi, partium quoque affectarum ſigna è ſymptomatum præcipuè cenſu eveſtiganda ſunt: Ut enim Facultatis vitalis dejectio, pulſus debilitas, cordis palpitatio, & alia Cor imprimis affectum indicant; Senſus autem & motus læſio, item vigiliæ, deliria, & ſimilia Cerebrum; Coloris totius corporis mutatio, maculæ & puſtulæ in ambitu corporis, & alia corrupti ſanguinis indicia Epar, ſic alia aliarum partium ſymptomata, alias indicant. Videatur *Senn. lib. Pract. 6. P. 1. c. 8.* ſingula prolixius proponens. *Diacritica* tandem ſigna quod attinet, utrum nimirum cauſa maligna in Corpore genita fuerit, an verò extra acceſſerit, ex Corporis conſtitutione, anteactâ victus ratione, cum aliis converſatione, ipſius morbi malignâ naturâ & ideâ ac ſpecialibus venenorum ſignis innoteſcunt, de quibus *Sennert. l. c.* Ne tamen incauti fallamur, ſciendum; Quò plura aut fortiora hujusmodi ſignorum conſpiraverint, eò certior erit affectus. Sequuntur tandem ſigna *Prognoſtica*, quorum alia ſpeciem *Eventus*, alia tempus indicabunt; 1. *Speciem indicantia*, utrùm nimirum lethalis morbus vel non, deſumuntur *vel à Cauſis*, ſic morbi à venenis quæ plerumque interimunt homines, ſive brevi ſive longiori temporis ſpatio id fiat, oriundi lethales ſunt cenſendi; *vel ab Eſſentia*, quando morbi ſuâ naturâ perpetuò ſunt mali-

 gni.

gni. *River. lib. 3. Sect. 2. c. 9. vel à Parte affectâ*, ſi nimirum venenum partem aliquam principem occupet, e. g. Cor, Cerebrum, vel aliam, undè maximè lædatur, pro lethali habendus eſt morbo, non autem ſi minus principale membrum invadat. *Senn. lib. 6. p. 5. c. 2. vel à Symptomatibus*, quò enim ſymptomata ſunt graviora & plura, viresque magis dejiciuntur, eò majus periculum metuendum eſt, quò autem ſunt mitiora & pauciora, viresque magis conſtant, major ſalutis ſpes eſt. *Senn. lib. 6. P. 1. c. 6. vel ab Experientia* atque *Exemplis*, ſi nimirum, multis licet hinc inde ægrotantibus, vix ullus moritur, de ægri cujuscunque etiam ſalute non deſperandum facilè, ſi verò paſſim multi moriantur, quemcunque etiam ægrum in periculo eſſe prædicendum, *Senn. l. 6. P. 1. c. 8.* 2. *Tempus* verò *Eventus*, longitudinem ſcilicet & brevitatem morborum indicantia ſigna, ſuppeditant, item natura veneni, partesque affectæ; Quo enim cauſa maligna potentior eſt, & membrum affectum nobilius, eò morbus brevior futurus, quo verò debilior eſt cauſa, & pars affecta ignobilior, eò longior; Sic quæ cor ſtatim invadunt venena, citiſſimè hominem vel enecant, vel ſuperantur. Quæ verò alias partes ignobiliores occupant, longius ſeſe extendunt. Legatur *Sennertus lib. 6. P. 5. c. 4.*

Cap. VII. Practicum.

Curationem adumbrans.

PErluſtratis atque cognitis quæ Theoriam concernunt brevibus etiam generalem duntaxat curationem inſtituturus, hanc commodius vix fieri arbitror, quàm ſi leges methodi medendi obſerventur, quæ reſpiciunt Indicationes & materiam medicam; Deſumuntur autem *Indicationes* vel à cauſis morborum effectricibus, vel ab ipſis morbis; Ratione cauſarum indicatio oritur *præſervatoria*, quæ amovere eas atque corrigere jubet, corpusque alexipharmacis obfirmare atque munire, Ut autem cauſæ in morbis his aliæ ſunt internæ, ab interno humorum apparatu provenientes; aliæ externæ, ab extra communicatæ; ita pro diverſitate cauſarum vario quoque ſuccurrendum modo. Ab ipſis verò T. S. morbis *curatoria* ſumitur indicatio, qui *ſi manifeſti* fuerint ratione cauſæ proximæ ac ſubjecti non ſolâ alteratione, ſed & inſuper purgatione & extirpatione tolluntur, ut ex

Practi-

Practicis hinc inde conſtat. Si autem *occulti* occurrant *morbi*, quibus cum nobis res eſt, tunc vel exquiſiti, vel mixti ſpuriique erunt, uti ſupra cap 4. *Si exquiſiti* tunc ex Sennerti conſilio Prax. lib. 6. part. 1. cap. 9. & aliorum, quando hauſtum eſt venenum, aut quocunque modo aſſuntum, idque in ventriculo adhuc lateat, per vomitum erit rejiciendum. Id quod commodiſſimè præſtant pinguia, lac, oleum, butyrum; Si verò ad inteſtina usque deſcenderit, leviter purgantibus ſeu clyſtere utendum, ulterius verò ſi pervenerit, ſudoriferis diſcutiendum. Morſu autem, ictu, aut contactu animalis venenati ſemina in corpus ſparſa, confeſtim iterum è parte læſa extrahenda, vel cucurbitulis cum multa flamma admotis, vel alio modo. Membrum quoque verſus cor fortiter ligandum, ne tàm ſubitò virus ad cor penetrare poſſit. Dehinc ſtatim ad alexipharmaca, ſi adſint ſpecifica, ſin minus unverſalia confugiendum. Quocunque verò, ſive communi aliquo per aërem, ſive alio modo venenum in corpus admiſſum ſit, ſimul ſtatim alexipharmaca exhibenda, vel veneno propria, vel communia, quæ cor roborant, & contra veneni vim muniunt, ipſiusque veneni vim impugnant. *Spurii* verò morbi, uti ſunt febres malignæ ac peſtilentes evacuantibus & antidotis dextrè debitèque ſuo tempore ac modo adminiſtratis curandi ſunt. Quam methodum in ſpecie tradidère, *Joh. Jonſt. in Idea Univ: Med. Pract. lib. 7. ut & Sennert. lib. Prax. 6. Part. 1. cap. 9.* In omni porrò curatione horum morborum *partis affectæ* maxima habenda eſt ratio, ita ut ſpecifica ſemper adhibeantur corroborantia, cordialia præſertim nunquam non admiſceantur. Tandem etiam obſervanda venit *Indicatio Diætetica*, quæ quia vires conſervare inque ſalubri vigore cuſtodire allaborat, maximæ quoque dignitatis eſt. Huic autem ſatisfacit aëris, cibi & potus & reliquarum rerum non naturalium debita ac juſta adminiſtratio: ſtudendum itaque ut aër ſummo ſtudio purificetur, & ab omnibus venenatis & pravis inquinamentis reddatur immunis. Cibus & potus quocunque modo corrigatur, ſucco citri, granatorum, coralliis, margaritis, & aliis convenientibus. Reliquæ verò res non naturales ita diſponantur, ut vel ſaltem damnum nullum, ſi non commodum afferant. Prioribus autem indicationibus ut pariter ſatisfaciamus, ad *materiam medicam* quoq; accedimus, *ex duplici fonte*, Chirurgico & Pharmaceutico hauriendam. *E Chirurgico* Ignem præcipuè & Ferrum depromimus, ad uſtiones & ſectiones, pro diverſi-

verſitate nimirum venenorum aliorumque affectuum peragendos. *E Pharmaceutico* verò fonte deſumuntur *primò Evacuantia*, & quidem ab initio interdum *vomitoria*, pinguia ſcilicet & oleoſa; Butyr. Ol. ſimpl. &c. Suc. Raph. Vitriol. alb. præp. & alia Ex *Laxantibus* deniq; Malv. Alth. Caſſ. Mann. Syr. Roſ. ſolut. & ſimilia; Ut & clyſteres pro varietate ſubjectorum & circumſtantiarum varii; Sudorifera tandem, Aq. Pimp. Card. ben. hyper. corn. cerv. Rob ebul. ſamb. junip. & alia, *Secundò Alexipharmaca*, & quidem vel univerſalia vel ſpecialia; Prioris generis ſunt, & quidem ſimplicia: Rad. Ang. valer. Torment. Scorz. Gent. Helen. Leviſt. Cort. Cit. Frax. Fol. Abſinth. Acetoſ. Acetoſell. Beton. Hyper. Laur. Rut. &c. Succ. Cit. Granat. Rub. Id. Sem. Citr. Rut. Acetoſ. Nap. & alia; Flor. Anth. Calend. Sambuc. Millef. Conſol. reg. Roſ. &c. Ab Animalibus, Lap. Bez. Unicorn. Corn. Cerv. &c. Terr. Lemn. Sigill. Unic. foſſ. &c. Compoſita autem ſunt, Mithrid. Theriac. Comm. & Cœl. Q. Pulv. Sax. Elect. Diaſ. Frac. Antid. Matth. Acet. Bezoart. & ſimilia; Specialia verò Alexipharmaca, quæ cuiusque veneni ſpeciei privatim adverſantur ex aliis Authoribus, inprimis autem Sennerto lib. P. 6. colligere licet. *Tertiò* denique *cordialia* & quidem ſimplicia, habentur Fl. Borr. Bugl. viol. &c. Succ. Aurant. Cydon. aliaque ex, radicib. ſem. lign. cort. arom. animal. & ſimilibus deſumta. Accedunt his compoſita, quæ quàm maximè ſpiritus & robur cordis conſervant & augent, quorum è numero ſunt, Syr. Acetos. Borr. de ſucc. Citr. conſ. Roſ. viol. Acetoſell. &c. Spec. & Pulv. cordial. d. Gemm. &c. Conf. Alk. d. Hyac. &c. His tandem modus adminiſtrandi eſſet adjungendus, quem tamen Practici hinc inde clariſſimè edocuerunt, quibus & nos ſubſcribimus, ſimulque filum abrumpentes, huic tractationi noſtræ finem imponimus.

Ad Doctiſſ. Dom. Reſpond.

TU morbum occultum manifeſto diſcutis ore;
Re præſta hoc olim, re manifeſtus eris.

Ita votivè ominatur
PRÆSES.

DEO SIT LAUS ET GLORIA.